



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 42. Julianus Cardinalis Legatus in Hungariam ab Eugenio Papa decretus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

ratione Anglos ad solvendam obsidionem compellerent. Ergo ipsemet Delphinus eo se confert, & selectas Regii exercitus copias ducens, die dominica, quæ Festum Beatæ Virginis assumptæ præceferat, mense Augusto ad munimentum Anglorum progreditur, ubi in hostium suorum conspectu castra posuit, Feria autem quarta sequenti classicum canere iussit. Acre pertinaxque certamen utrinque commissum est, donec tandem Galli expugnato urbis munimento Anglos inde propulsarent, omnibusque transfugis, qui natione Galli erant, suspendio multatis ceteros secum captos abstraherent. Facta hujus munimenti expugnatione Angli obsidionem solvere coacti sunt, & Delphinus urbem ingressus, tam Praesidiario militi, quam oppidanis invictam eorum magnitudinem gratulabatur, demum victoriis ac gloria plenus ad Regem, qui tunc Salmurii degebat, revertebatur. Hæc prospere gesta fuere anno salutis millesimo quadringentissimo quadragésimo tertio.

## §. XLII.

*Julianus Cardinalis Legatus in Hungariam ab Eugenio Papa decretus.*

Deppa urbe nondum occupata, jam in-  
eunte hoc anno Eugenius Papa Ju-  
lianum Cardinalem in Hungariam misit,  
*Hist. Eccles. Tom. XXVIII. D* tum

Sæcul. XV.  
A. C. 1443.

An. 1443  
Bonfin. 3.  
dec. 4. & 5.  
Crom. l. 21.

Sæcul. XV. A C. 1443. tum ut pacem inter Ladislaum Poloniæ Regem, et Reginam Elisabetham conciliaret, tum ut Regni hujus Proceres stimularet ad conscribendos subsidiarios milites adversus Turcas, quorum Imperator Amurates Belgradum, alii Albam-Græcam vocant, firmissimum Hungariæ propugnaculum ingenti exercitu obsederat. Adfuit etiam missus a Felice Alexander Cardinalis Tridentinus, qui prædicti Ladislai Patruelis erat, hunc Regem ad Felicis partes tracturus. Verum Hungari in Eugenii Papæ obsequio immoti perseverarunt, Polonis autem, quoniam Academia Cracoviensis auctoritatem Concilii Basileensis tuebatur, tutius visum est, neutri parti adhærere.

## §. XLIII.

*Elisabethæ Hungariæ Reginæ obitus.*

*Crom. l. 21.* Quod vero Legationem Juliani Cardinalis attinet, eadem ex animi sententia cessit, pace quibusdam conditionibus feliciter composita, quæ tamen expectatione minorem sortita est eventum; quippe supervenerat repentinus Elisabethæ Reginæ obitus, ac insuper non pauci, qui Reginæ, ejusque Filio adhæserant, qua vi, qua metu adacti, demum Poloniæ Regi sua addixerunt studia. Turcæ vero, præterquam quod Amurates a se-  
ptime-